



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Quid sunt præcepta Dei. tit. 139

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

principem Syriae, lauationem in Iordane, 4. Reg. 5. Ita per homines deridet, quonia in pane & calice credimus esse verum Christi corpus, Mat. 26. &c. Idē Sathan sic per schismaticos deridet caeremonias & Sacramentalia Ecclesiae, vnctionem & Chrisma: sed sicut nos Catholici propterea non deponimus fidē, propter derisionē Gentium & Iudaeorum, sic ne propter schismaticos haec negligenda sunt, sicut dicit propheta Psal. 58. Et tu Domine deridebis eos, &c.

Tertiō, hoc faciunt ex odio contra Ecclesiam Catholicam, & ad seipfos declarandos, quōd non sunt de Ecclesia Catholica, sed schismatici, Hus, Vvigness, &c. sed ex quo scimus ex Paulo, Gal. 5. quonia secta, id est, qui nolunt idem sentire cum Ecclesia Catholica, regnum Dei non possidebunt, idēd committimus eos Deo. Quid nobis de his, qui foris sunt, inquit Apostolus 1. Corinth. 5. illos Deus iudicabit. Et Christus ait Mat. 18. Qui Ecclesiam non audierit, &c. Si nendi igitur sunt, & Deus est qui nouit qui sunt eius, 2. Timoth. 2.

QUID SUNT PRAECEPTA DEI.  
TITVLVS CXXXIX.

**R**ia sunt notanda. Primō, quid sint praeccepta Dei: Secundō, cur à Deo praeccepta: Tertiō, qui fructus sint ea seruanti- bus. Primō praeccepta Dei sunt opera, quae Deus praecipit, & in duabus tabulis scriptis digito suo, sub maledictione aeterna exigens obedientiam, Deute. 27. ab his, qui credunt. Et sunt decem praeccepta, omnia alia opera, cultum & religionem in se includentia, atq; caeremonias, & in hunc finem Deus dat in iustificatione Spiritūs sanctū, homini adiutor em, qui eum regeneret, assistat, Rom. 8. qui obedientiam legis per illum perficiat. Non enim Deus à nuda natura, oppressa peccato, exigit ple-  
nam illam



nam illā obedientiam: ideò effundit in nos abundantius Spiritum sanctum &c. Tit. 3. Act. 2. Et si adhuc redit quaedā incompleta satisfactio & obedientia, attrahit Deus propter Christum non vult nobis imputare illam perfectionem. Sic enim Christus est finis legis credenti, quòd fides hæc computabitur tanquam iustitia, ac si sine defectu compleuisset legem.

Secundò, Deus ideò dedit præcepta decalogi, ut sciret homo, quæ opera Deo placerent, & certus esset. Et sic dedit tria primæ tabulæ præcepta, ut eum solum pro Deo reputaret, & nullum esse idolum in mundo. Ioan. 17. Hæc est vita æterna, &c. Secundò, ut nomen suum honorarent, timerent, diligerent, in illum sperarent. Tertio, per omnia sibi obediret, id est, quicquid Deus super hominem immitteret, siue dulce siue amarum, sanitate vel infirmitate, quiesceret à murmure, fabatizaret, & eum coleret laudibus & gratiarum actionibus. Secundò præcepit, ut homo cum proximo hinc pacificè viueret, cum sicuti seipsum diligeret, Matthæi. 22. Et sic docent opera secundæ tabulæ. Sic voluit Deus, ut ijs operibus eum honoraremus, & non ociaremur, vel ad voluntatem, sicut Ethnicum, viueremus, 1. Pet. 2. Deum time. Ideò Deus dedit hæc præcepta.

Tertio, Fructus obedientium sunt plures, qui notantur Exod. 20. Deuteron. 28. Leuit. 26. vbi benedictiones & maledictiones notantur in tertiam & quartam generationem, & hoc in præsentī vita In futura quoque æternum præmium, iuxta differentiam meritum, 1. Corinth. 15. Differt stella à stella, &c. &c. 1. Corinth. 3. Vnusquisque recipiet mercedem &c. Summa, contemptor bonorum operum aut præceptorum, non ingredietur in regnum. Christus solus meruit regnum coelorum omnibus credentibus, sua vniuersa victima, Esai. 53. Ideò nemo alius hoc merebitur, 1. Ioannis secundo. Ipse est propitiatio &c. At distributionem



tionem impetrat fides, & retentionem ipsa obediē-  
tia praeceptorum, quae ducit ad possessionem regni  
Dei, iuxta illud Matthæi 25. Esuriui, & dedistis mihi  
manducare. Ideo si non retineretur distributa gra-  
tia, nec sequeretur possessio regni: sicut, nisi come-  
deris, non possidebis vitam, licet cibus non det vitā,  
sed Deus & cæ.

QUID SUNT PROMISSIO-  
nes Legis & Euangelij.

TITVLVS CXL.

**P**romissio est verbum Dei, quo nobis ali-  
quid promittit vel daturum aut factu-  
rum propter Christum, & nullam aliā  
habet causam, nisi Christum. Est enim  
penitus gratuita, & non habet causam  
in nobis. Propter Christum electi sumus ad vitā an-  
te constitutionem mundi, Ephes. 1. Propter Christum  
fit promissio remissionis peccatorum, Ioan. 3. vt om-  
nis qui credit, & cæt. Propter Christum datur & pro-  
mittitur Spiritus sanctus, Ioan. 14. quem mittet pater  
in nomine meo. Propter Christum promittitur vita  
æterna, & donum est propter Christum, Roman. 6.  
& propter Christum nostræ exaudiuntur preces, Ideo  
iubet petere in nomine suo. Non igitur Deus à nobis  
accipit occasionem promittendi, sed à Christo filio  
suo: Non à lege, sed à misericordia sua. Non igitur o-  
pera nostra merita sunt, vt propter illa accipiamus  
promissiones, sed solum merita, per quæ ad nos veni-  
unt, & nobis applicamus Christi beneficia.

Sunt autem duplices promissiones Dei: quædam  
respicunt legem, & dicuntur promissiones legales:  
Quædam verò Euangelium, & dicuntur Euangelicæ  
promissiones. Fides apprehendit Euangelij promif-  
siones, & lex suas promissiones. Atq; sic nec Euange-  
lium, id est, fides, nec obediētia legis est inanis aut  
posthabenda credenti.

Prima